

De imagi-  
ne Dei in  
Protopla-  
stis.

64. Haud enim rectius de definitione peccati Originis poterit constitui, quàm si, quid & qualis fuerit præcedens habitus, Iustitia nimirum originalis sive Imago D E I, ad quam protoplasti erant conditi, cognitum, perspectumque habuerimus.

65. I. Fuit autem hæc neque per se ulla aliqua substantia: Nam alioqui ejus privationem, peccatum originis, substantiam quoque ab anima & corpore hominis distinctam esse, foret consequens.

66. II. Neque etiam ipsam Protoplastorum substantiam, vel quoad animam, vel quoad corpus constituit: Amisâ enim imagine D E I, ad quam erat conditus, ipsum quoque, vel corpus, vel Animam Adamus amisisset.

67. III. Neque denique pars aliqua animæ extitit: siquidem hæc ut spiritus, est ἀμέριστος, καὶ ὅλως ὅλοντι, partem extra partem nullam habens: ac proinde pars ejus destrui nequit, quin tota perimatur.

68. Vnde non ad substantiarum, sed Accidentium classem, eam referendam esse contra recentiores Manichæos, firmiter colligimus.

69. Neque tamen in eorum Accidentium numerum simpliciter eam referimus, quæ in categoria

goria